

HEINRICVS DE VRIMARIA MONACHVS.



HEinricus ordinem fratrum eremitarum S. Augustini ingressus est, anno Christi 1340. In eo sedulo libris incubuit, atque sua eruditione ubique per Germaniam notus fuit. scripsit is lib. 4. super sententias. praeterea flores ex collatione patrum lib. 24. Insuper de Incarnatione uerbi, de quadruplici instinctu, in libros Ethicorum, sermones de tempore cum multis alijs, quorum quaedam postea, cum Aegidij de Roma commentarijs super sententias, Coloniae sunt edita. Itaque is suis lucubrationibus effecit, ut eius memoria etiamnum apud nos supersit, Ges. in Bib.